

Dissertatio Theologica

DE

**PRUDENTIA
NUPTURIENTIUM
GAMICA,**

Sive

**FOEDERE CHRISTIA-
NORUM CONNUBIALI
RITE RECTEQVE INEUNDO,**

QVAM

PRÆSIDE

JO. JUSTO KISKERO,

SS. Theol. Doctore, ejusdemqve & Prim. Phil. Prof. Ord.
Confil. ac Superint. Eccles. Hasso-Schauenburg.

In Academia ERNESTINA, quæ RINTELII ad Visurgim,
D. 29 April. A. O. R. M DCC X.

Amore & More Academico,

i.e.

Placide ventilabit publicè

M. JOH. CHRISTIANUS von Mithoffen/

Quedlimburgensis-Saxo,

AUCTOR RESPONDENS.

~~~~~  
RINTELII,

Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typogr.



Dissertatio Theologica

De

PRUDENTIA

NUPTURIENTIUM

GAMICA

Aut

FOEDERE CHRISTIA-

NORUM CONNEXALI

RIE RECTE QUAE IN

Qua

PRÆSIDIO

IO. JUSTO KISSERO

Doctoris et Prof. Phil. in Univ. Lipsiensi

in theologiae et philosophiae

disciplinis

habuit

Amore & more Germanico

Publice

M. JOH. CHRIS. ANUS non scriptissimus

Quodammodo

QUESTOR RESPONSARUM

in theologiae et philosophiae

disciplinis

habuit



IN NOMINE JESU!

§. I.



**U**T ordine incedamus dum de hac materia disserere placet, ante omnia varias circa illam *Denominaciones* inquirere liceat.

Verbum *γαμήν* i. e. nuptias instituere, quanquam proprie virorum est, atque ita uxorem ducere significat Matth. V, 32. cap. XIX, 9. Generaliter tamen, & quidem *Synecdochice* quandoque usurpatur, prout non solum *sponso*, sed etiam *sponse* competit, nuptias inter se contrahentibus Matth. XXII, 30. Luc. XVII, 27. 1. Cor. VII, 28. Sicut *ἐγγαμίον* nuptum dare, elocare, itidem generaliter usurpatur, prout sponsi ac sponsæ *parentibus* filiorum ac filiarum connubia jungentibus convenit. Vulgatus Interpres verbum *γαμήν* aliquoties verbo *nubendi* expressit, illud tam viris quam foeminis accommodans. Nam olim viri nubere æque ac foemina dicebantur. Hinc Varro lib. 14. Antiquit. *Viris nuptis sacrificabatur in cubiculo viduae.* Apud *Athenaenos* *γάμος*, nuptia, pro sponso vel marito, ut apud Romanos conjugium & matrimonium pro uxore accipiuntur. *Verecunde* autem Matth. XXIV, 38. Luc. XVII, 27. verbis *γαμήν* & *ἐγγαμίον* ceu ex Genes. VI, 2. colligere licet, notantur non solum *illegitima ante-Diluvianorum conjugia*: (dum alii duxerunt uxores, non quas parentes volebant,

*Varia Con-  
nubiorum  
Denomi-  
nationes.*

A

sed



sed quas ipsi sibi eligebant; plerique dispari gaudebant conubio, cum Cainitis Apostatis affinitates contrahendo; Nonnulli pulchritudinem sine ullo pietatis respectu in futuris conjugibus quærebant; multi in gradibus prohibitis nubebant, uti colligitur ex voce  $\text{לְכָנֵן}$  ex omnibus vel quibusvis, i. e. ex quorumcunque parentum, sive veræ religioni addictorum, sive ab ea alienorum, sive proximo consanguinitatis vel affinitatis gradu contrahentibus conjunctorum filiabus; Non pauci polygamiam cum improbo Lamecho introducebant;) Sed etiam eorundem adulteria, & illiciti congressus, siquidem  $\text{וַיִּקְחוּ לָהֶן נָשִׁים אֲחֵרוֹתַיִם}$ , rapuerunt sibi uxores, acceperunt sibi concubinas.  $\text{וַיִּקְחוּ}$  enim tam de concubinis, quam de legitimis uxoribus accipitur. Sic Marc. VI, 17. verbum  $\text{ἐκράδαυσε}$  de Herode Antipa usurpatur, qui Philippi fratris uxorem furtim ablatam nefario incestu polluit. Similiter & apud profanos scriptores nuptiæ, nubere, nuptias facere, nuptias agere pro ipso  $\text{συγαγαυω}$  seu consuetudine veneræ, & quandoque de execrabili naturæ abusu usurpatur.

*Materia,*

§. II. Dicitur *Conjugium* à communi jugo, quod mas & foemina unà subeunt. *Materia itaque conjugii sunt ipsæ personæ*, quæ conjugio copulantur, mas unus & una foemina, *habiles* ad reddendum debitum conjugale, & quarum conjunctioni *consanguinitas* aut *affinitas* non obstat, quia Lev. XVII, 6. prohibemur, carnem carnis, i. e. personam carne propinquam matrimonio nobis jungere. Ac notanda est *Universalitas* ex parte *subjecti* ( $\text{וְאִישׁ וְאִשָּׁה}$ ) ita, ut quilibet homo obligetur, & *universalitas* ex parte *Objecti*, s. quod prohibetur, ne quis ullam propinquam carnis ducat in uxorem. Equidem consanguinitatis vinculum, quod per generationem naturalem contrahitur, suapte naturâ arctius est vinculo affinitatis, quod per nuptias demum contrahitur.

*Ma-*



Major quoque in consanguineorum nuptiis disconvenientiæ & turpitudinis ratio est, quàm in nuptiis affinium. Sed nihilominus certum est, affinitatis quoque gradus esse Divinitus prohibitos, & rationem prohibitionis in ipsa natura ac materia substrata fundari. Secundum *Jus Civile* 5 sunt impedimenta, quæ partes contrahere non permittunt. (1.) Ratione cognationis seu Naturalis seu Civilis, i. e. adoptionis. (2.) Ratione affinitatis. (3.) Ratione publicæ honestatis. (4.) Ratione delicti. (5.) Ratione potestatis & officii. *Jus* quoque *Canonicum* in linea descendente cum *Jure Civili* convenit, in transversali peculiare habens prohibitiones, matrimonium usque ad quartum gradum prohibet. Concilium Lateranense, cui Papa Innocentius III. præfuit, cap. 50. rationem affert præ omnibus jocosam & facetam, Majestati Pontificali dignissimam, sicut & Concilii gravitate: *Conjagium prohibetur neque ad quartum gradum, quia sunt quatuor humores, & quatuor Elementa. Lege verò Divina gradus prohibiti sunt primus & secundus, qualis est avunculi & neptis conjunctio. Porro in nuptiis non solum requiritur, ut partes contrahentes sint legitime, sed etiam, ut illæ, quæ legitime consentur, quatenus defectus in illis non reperiuntur, insuper legitimo modo contrahant. Idcirco requiritur (1.) Consensus contrahentium. (2.) Consensus liber. Sic (3.) si contrahentes sint in potestate parentum, eorum insuper consensus intervenire debet in filio etiam milite sine ætatis distinctione. In filia usque ad annum 25 tum. Et ille parentum consensus innull videtur & clare vindicari Matth. XXII, 30. Phraseologia Emphatica, quæ Evangelista utitur: ἐν γὰρ ἀναστήσει ἅτε γαμήσιον, ἅτε ἐκγαμήζοντα. Nam vox γαμήσιον, uxores ducunt, de viris dicitur, sicut γαμήσιον de mulieribus. At ἐκγαμήζοντα, nuptum, dantur, dicitur propter parentes, qui ἐκγαμήζον i. e. nuptum tradunt, & in aliorum potestatem. Sic 1. Corin. VII, 38. ἅτε καὶ ὁ ἐκγαμήζων, itaque qui*



qvi dat nuptum, bene facit, qvi verò non dat nuptum, melius facit. Hinc patet, in filiabus elocandis requiri parentum consensum, seu illorum, in quorum sunt potestate, easque dici *γαμήδα* respectu eorum, à quibus nuptum dantur. Vulgata habet nubentur, quod barbarum est. Etsi tamen facile conceditur, discrimen illud inter τὸ γαμῆν & γαμήδα non esse perpetuum. Nam Paulus 1. Tim. V, 14. scripsit, mulieres viduas γαμῆν, nubere, & 1. Cor. VII, 34. mulier dicitur γαμήσασαι, pro γαμηθεῖσαι passivè. Attamen Matth. XXII, 30., & plerumque aliàs illud discrimen videtur observandum.

*Finis.*

§. III. Dicitur *Matrimonium*, eò quod virgo *mater fieri* intendatur seu à *sine conjugii*, per quem mulier mater fit: vid. *B. Musæi Theses de Conjugio* §. 3.

§. IV. *Materiae dignitas postulat, ut, antequam ad alia progrediamur, aliquid de Initio Sponsaliorum dicamus, eorumque Erymon prodamus oportet. Dicuntur verò Sponsalia à spondendo, unde sponsi sponsæque appellatio, suntque nihil aliud, quam mentio & repromissio futurarum nuptiarum. Antiquissima esse, satis superque tum ex SS. Genes. XIX, 12. & 14. Deut. XX, 7. cap. XXII, 23. Matth. I, 18. tum ex profanis & Græcorum & Romanorum Historiis clarescit. Vetères stipulari & spondere sibi uxores solebant, Sponsa autem dicebatur, non quod sponderet, cujus vestigia existant in Terent. Andr. Act. 1. Scen. 1. Placuit, despondi, inquit, sic nuptus dictus est dies. Et Heautont. Act. 4. Scen. 5. At illi ego neque do, neque despondeo. Spondere autem à spontè venit, quasi facta sit spontanea datio vel promissio, Varro de Lingv. Lat. Hinc omnis stipulatio promissioque sponsa appellatur, vulgò Verlöbniß, oder Ehe- & Gelübde. Olim etiam sponsalia dicebantur munera, quæ à sponso sponsæ dabantur. Nostri vocant arrhas sponsalicias, Mahls Ehaß.*

§. V.





§. V. Matrimonium est res verè Divina & Humana. *Divina* quidem, tum, quia instituta est à Deo immediate in paradiso inter innocentes & sanctos, verasque Dei imagines, tum quia typus est Conjugii vere Divini, quod inter Christum & Ecclesiam est; Tum denique, quia institutum est ad propagandam Ecclesiam sanctam, & ad salutem cujusque promovendam. *Humana & Politica*, partim quia maxime propter hanc præsentem vitam humanique generis conservationem & politicam institutum est, (in Cælo enim neque nubent, neque ducent uxores, sed erimus sicut Angeli Dei) partim etiam, quia ab humanis legibus, sed cum verbo Dei non pugnantibus, magnâ ex parte dependet, *Causa* etiam, *propter quam sit institutum conjugium, quomodo contrahendum, quale esse debeat, & quomodo conservandum*, id dicendum est primò ex verbo Dei, & deinde etiam ex *Jure Civili*. Cum enim hocce Juri Naturæ conforme esse debeat, multas etiam honestas leges de conjugio tulit. Ad Sacras verò literas, unde maxime petenda est doctrina de conjugio, quod attinet, notandum est quoddam *discrimen* inter ea, quæ habemus de Conjugio in Vet. & quæ in Nov. Test. Quæ in Nov. omnia æterna sunt, & immutabilia ad finem usque seculi. Quæ verò in Vet. Test. traduntur, ea secantur in leges & in Exempla. Ab Exemplis certam doctrinam colligere non possumus, nisi quatenus consentanea sunt primæ institutioni, legique Dei perpetuæ & naturæ.

*Causa efficiens.*

§. VI. Vinculum matrimoniale nihil aliud est, quàm *mutua uxoris & mariti obligatio ad fidem conjugalem, orta ex utriusque consensu*. Hæc obligatio est *forma conjugii*, quia positâ hac Obligatione ad fidem conjugalem, ponitur conjugium, & eâ sublata, tollitur conjugium. Quod autem hoc modo se habet, forma dici solet. Deinde idem ex eo patet, quòd præter hoc vinculum in mutua obligatione positum, nihil dari possit, quod sit *ratio formalis* conjugii. Relinquitur ergo vinculum conjugale seu obligatio Conjugum

*Forma.*

mu-



mutua ad matrimoniam fidem. Dicitur: *Consensum* posse pro forma matrimonii haberi. *R.* Formæ ea est ratio, ut, eâ cessante, cesset res, cujus est forma; At vero cessante consensu, non cessat conjugium. Sæpe enim fit, ut conjuges non amplius consentiant in mutuam cohabitationem, & id unice in votis habeant, ut segregari possint, nec tamen conjugium cessat. *Consensus* itaque ad *causam efficientem* potius refertur, tanquam ejus *causalitas*. Hoc *vinculum* conjugale est *indissolubile* teste Salvatore Matth. XIX, 6. *Quod Deus copulavit, homo ne separet.* Ubi obiter observandum, hæc verba *dupliciter* intelligi posse. Deum scilicet copulasse maritum & uxorem. (1.) Vi institutionis, quâ Deus instituit conjugium, ut mas & foemina vinculo indissolubili copulentur. (2.) Quatenus Deus utriusque animum inclinât, ut in matrimonium consentiat. Hæc loco verba illa *priori modo* intelliguntur, & sensus hic est: *Quia Deus masculum & foeminam copulavit, i. e. instituit, ut indissolubili vinculo copulentur, ab hominibus non debent separari, & sic conjugium indissolubile est vi Divinae institutionis.* Est autem vinculum conjugale indissolubile *non absolute*, sed *secundum quid*, si scilicet sit absque adulterio & malitiosa desertione. Si verò accedat *adulterium* aut *malitiosa desertio*, matrimonium dissolvitur, & hæc sunt justæ causæ divortii. Quod *adulterium* causa divortii sit, patet ex Matth. XIX, 9., ubi significat Christus, per stuprum vel adulterium solvi matrimonium, idque patet ex natura adulterii. Adulterium enim per se & directe opponitur fidei conjugali, adeoque substantiæ matrimonii. Quod autem *malitiosa Desertio* sit causa divortii, patet ex 1. Cor. VII, 15. *Si incredulus discedit, discedat.* Ubi Apostolus retrospicit ad consuetudinem in primitiva Ecclesia, cum subinde aliqui ex Gentilismo converterentur ad Christianam religionem, marito manente infideli. Oriri solebant dissidia inter maritum & uxorem, & pars infidelis cum altera parte conversâ cohabitare volebat; sæpe enim infidelis e. g. maritus uxorem con-



conversam deferebat. Quid ergo in tali casu fieri debeat, Paulus ostendit, nempe si contingat, ut pars infidelis fidelem deserat, solum esse vinculum conjugale à parte deserente, partiqve desertæ conjugium permittendum.

§. VII. Matrimonii probe consideranda est *persona*, cum quâ contrahendum est. Unde Chrysoft. Tom. 5. Hom. de Pulchrit. & uxore. *Satage*, inquit, *ut commodam & honestam & obsequentem uxorem ducas. Nam si domum & servos emturi, diligenter & curiose sciscitamus & perscrutamur, multo magis uxorem ducturos tantam & longe majorem etiam providentiam gerere oportet. Domum enim vitiosam & servum licet reddere venditori, uxorem vero dimittere non licet. Qvare priusquam contractus hujus modi fiat, oportet contrahentem attendere personam. Nam multi non attendunt nisi divitias, vel pulchritudinem, vel gentem, non mores, & hinc provenit, quam plurima infelicia esse matrimonia, & causam sæpius esse damnationis alterius, vel utriusque conjugis. Ad hoc autem operæ pretium orationem præmittere, ut Deus dirigere dignetur corda cordium. Dicit enim Salomo Prov. XIX, 14. Divitiæ dantur à parentibus, à Domino autem uxor prudens. Est autem optimum consilium, similitudinem qvære in conjugio. Si enim deformis cum formosâ, vel pauper cum divite, vel ignobilis cum nobili contrahere velit, dissimilitudo ipsa odium conciliabit. Item qvære conjugem bonis moribus institutam, qvia virtus in officio continet etiam eos, qui alias intolerabiles essent, & ubi Dei timor adest, nihil marito timendum. Tolerare autem æquo animo debet vir uxoris molestias, Chrysoft. de Mulier. Tom. 2. Fertur, qvidam exteriorum Philosophorum improbam habens uxorem, & garulam, & vinolentam, interrogantibus, quam ob causam talem habens toleraret, dixisse: Ut exercitationem & palæstram domi habeam, ero enim aliis placidior in hac edoctus qvotidie, Ille Philosophus Gentilis erat. Qvam igitur excusationem*

*Piè & circumspèctè eligenda Conjux.*



tionem *Christianus* habebit, contumeliâ afficiens eam, propter quam etiam parentes dimittere Deus iussit? Rectè Chrysoſt. *Insultat mulier, cave, ne tu mulier sis. Est enim insolere muliebre. Non te à muliere censeas indignum laceſſi, te potius indignum credito, si laceſſis. Duo sunt, quæ domum faciunt, lapis & lignum, tria sunt, quæ exornant illam, & conservant: Pietas religionis, concordia inhabitantium, & iustitia virtutum. Ut mutuus amor conjugum fundamentum Oeconomix: Ita eorum dissensio est totius domus perturbatio. Discordes ne tota quidem Domus capit. Leonis Byzantii missi Athenas ad seditionem sedandam verba fuere: *Obesus ego sum, obesior uxor & tamen, cum tales tantique simus, concordas lectulus capit, discordes neque tota domus.* Frugi conjux bona plurima præstat marito, ut beneficit, prava viro exitium & dolorem affert, infirmumque mariti animum, non fecus ac cariosam navem procellæ, demergit. *Sicut nihil benignâ (sunt verba Fulgentii) superius conjuge, ita nihil infestâ crudelius muliere. Conjux quantum jure conjunctior, tantum est aut morum dulcedine mellea aut felle malitia toxica. Est quippe aut perpetuum refugium aut perenne tormentum.* Ad communem procreationem requiritur animus idemque affectus ad eadem vota. Ad communem domus dispensationem requiritur, ut uxor non tantum voluntati viri se conformet, verum etiam in eam tota transformetur. Ita & viro incumbit paria facere. O! quanta voluptas, quanta domus securitas ex hac pariformitate animi! Sic bene erit domui. Ast ubi uxor morosa & exosa, ibi dies tristitiæ & amaritudinis, & dulcedo savoritatis in amaritudinem absynthii vertitur. Sic erit onus grave marito, & malè erit domui, quæ nacta est uxorem moribus exosis præditam, quæ terram (multò magis domum) movere dicitur Proverb. XXX, 23. Christus invitatur ad nuptias, cum ipse præcipuis matrimonii finis & scopus præfigitur, i. e. quando quis uxorem ducit, quò melius Deo serviat, ejusque legem observet, eadem,*

qvo

qvo naturæ satisfaciât, & fornicationem & libidinem omnem excludat, utendo. Non autem eò modo utendo, sicut ille uti volebat, vel usus erat, de qvo scribit Euseb. lib. 4. cap. 16, qvi absqve ullo timore Dei, & contra Christianum ordinem & mensuram uxore suâ in lecto uti volebat. Felix illud matrimonium & auspiciatum censeretur, cum sola virtus tam in viro qvàm foeminâ, non verò dos, forma, nec divitiâ spectantur. Eleazar servus Abrahami senior, qvi omnibus, qvæ habebat, præerat, cum parentibus Rebecca de connubio inter Isaac & illam ineundo tractans, hunc in modum locutus est: *Dominus benedixit Domino meo valde, & magnificatus est, & dedit ei oves & boves, argentum & aurum. Genes. XXII, 35.* Ecce primò cum Deo gratum, & benedictum ab eo ait, anteqvam de divitiis & opibus sermonem instituit. Itaqve Deus exorandus, anteqvam matrimonii copula ineatur, qvo bono ejus auspicio ductuqve reperiri uxor qveat. Qvi enim improbam & perverfam nactus est, ille perpetuo inferni tormenta etiam vivens experitur. Unde Sir. XXV, 23, commorari Leoni & Draconi placebit, qvàm habitare cum muliere neqvam. Quantâ igitur curâ & anxietate bona qværenda est uxor? qvot in ea dotes requiruntur? qvàm multa examina facienda, anteqvam ducatur? In qvam rem notanda sunt verba Prophetæ Nathan, qvibus Davidem compellavit, & qvibus Allegorice unicam uxoris probæ dotem descripsit, cum illum adulterii coargueret 2. Sam. XII, 7. Ubi Prophetæ *Uria uxorem vocat ovem.* Ovis enim sit, oportet, qvæcunqve bona vult dici uxor, i.e. dulcis, mansveta, omnem exosa rixam & clamorem, marito velut ovis pastori obsequens. Hanc vicissim maritus velut oviculam suam habeat, servet, nutriat, custodiat, & ut filiam diligat necesse est. Optime idcirco mihi dixisse visus est Sapiens, dum ait Sir. XXVI, 19. 20. *Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata.* Perinde ac si dixisset: *Nulla viro major obtingere hac in vita potest felicitas, qvàm si honestam, castam, probamqve uxorem*

B

nam



nanciscatur. Insignis quidem uxoris dos est sanctitas & probitas, at omnium praestantissima, cum castitatem colit, pudorem amat, omnemque perperam quid de se cogitandi occasionem praescindit.

Conjugium  
Sanctum  
est & Sa-  
crum, non  
Sacramen-  
tum.

§. VIII. Conjugium esse statum vitae Divinitus institutum, adeoque sanctum vitae ordinem, in quo pii conjuges sancte vivere, Deo placere, ac vitae aeternae participes fieri possint, Deumque piis precibus ex fide profectis invocatum, conjugibus suam gratiam, & benedictionem impertiri, non solum concedimus, sed etiam totis viribus defendimus, nec abnuimus, quod minus in generali quodam vocabuli sensu ac respectu, quatenus est sacrae rei signum, & mysticae desponsationis inter Christum & Ecclesiam adumbratio, Sacramentum dicatur, sed negamus, esse proprio & specificè dictum Sacramentum eâ significatione, quâ Baptismus & Eucharistia dicuntur *N.T. Sacramenta*. Hanc sententiam demonstramus (1.) ex requisitorum Sacramenti essentialium carentia. Deest enim matrimonio externum elementum certo ritu externo tractandum, deest Divinum mandatum visibili signo sive Elemento Sacramentali additum, nec est Sacramentum *N.T. proprium*, deest illi promissio gratiae Sacramentalis, deest illius gratiae applicatio. (2.) Ex mandati Divini de usu conjugii omnibus fidelibus praescripti deficientia. (3.) Ex multiplici Pontificiorum ἀντιλογία de hujus Sacramenti materia, forma, ministro, institutionis tempore &c. (4.) Ex Parrum & Conciliorum silentio. (5.) Ex quorundam adversariorum suffragio. Nullam igitur matrimonio injuriam irrogamus, neque quicquam dignitatis eidem debita derogamus, quando illud Sacramentum esse negamus. Id tantum est credendum, quod SS. unica fidei norma tradit. At conjugium esse signum externum, & habere promissionem gratiae justificantis ex Divina institutione, id SS. nusquam tradit. Ergo illud non est credendum. Praeterea si conjugium idè referendum est inter Sacramenta, quod signum esse possit conjunctionis Christi cum Ecclesia, tunc multa alia eodem per-



pertinebunt. At non hoc. Nam & COELI designant  
 APOSTOLOS, Sol CHRISTUM &c. Pl. XIX, 2. seqq quæ  
 tamen propterea non sunt *Sacramenta proprie dicta*. Ergo  
 NEC ILLUD. Matrimonium fuit ab initio mundi, & apud  
*infideles* adhuc permanet. Ergo non potest Sacramentum  
 Nov. Test. & solius Ecclesiæ dici. Consequentiam illustrat  
*Lutherus in libr. de Captivitate Babylonica cap. de Matrimonio*  
*T. 2. Lat. Jenens. p. 279. dupliciter* (1.) Matrimonia Patrum non  
 minus erant sancta, quàm nostra, & *infidelium* non minus  
 vera, quàm nostra, nec tamen in his aut in illis ponunt Pon-  
 tificii Sacramentum. (2.) Apud fideles sunt quoque impii  
 Conjuges quibusvis Gentibus pejores. Itaque ibi non debet  
 dici Sacramentum, si non hic. In Sacramento præter ordi-  
 nationem Divinam requiritur, ut sit *exterior ceremonia à Deo*  
*posita ad confirmandam promissionem gratiæ Cœlestis*. At  
 horum duorum neutrum in matrimonio esse, pueri quoque  
 judicabunt. Ergo non est Sacramentum. Nullum Sacra-  
 mentum proprie ita dictum est *immundities, pollutio, carnales*  
*sordes*. Matrimonium ex Pontificiorum sententia est im-  
 mundities, pollutio, carnales sordes, quod patet ex Epistola  
*Siricii Papæ ad Himerium Taraconensem*, in quâ illa verba  
 Apostoli, Rom. VIII, 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non*  
*possunt, ad conjugium accommodantur, & Sacerdotibus nuptiæ*  
*interdicuntur* ob illa verba SS., quæ proprie ad Sacerdotes  
 pertinent: *Sancti estote, quia ego sanctus sum*. Lev. XIX, 2.  
 & *Mundamini, qui fertis vasa Domini* Jesh. LII, 11. Ergo iisdem  
 non potest esse Sacramentum proprie dictum. Sed ut præ-  
 tereamus alia omnia, absurdum hoc & incommodum ex ista  
 interpretatione Siricii vel cujuscunque alterius consequi  
 foret necesse, neminem tunc Christianorum Romæ conju-  
 gem fuisse. Statim enim subjicit v. 9. *Vos autem non estis in*  
*carne*. Non igitur fuissent Conjuges Priscilla & Aquila,  
 quos salutare jubet Rom. XVI, 3. Si matrimonium esset  
 Sacramentum, certè non pugnaret cum aliis Sacramentis.

B 2

At



At Pontificii docent, non posse *Ordinis Sacramentum* cum matrimonio simul consistere. Ergo matrimonium non est Sacramentum, vel ipsi Pontificii secum pugnant. Sacramentis *proprie dictis* annexa debet esse *promissio gratia, non cuiusque*, sed reconciliationis & remissionis peccatorum. At talis promissio matrimonio deest, Ergo non est Sacramentum proprie dictum. Pontificii seducti sunt malâ translatione vulgatâ Editionis Latinâ Eph. V. 32. *Sacramentum* hoc magnum est. At Græci libri saltem habent: τὸ μυστήριον τῆς, *Mysterium* hoc. Et qvale mysterium intelligendum sit, ipse Apostolus statim explicat: Verum ego loquor, inquit, *de Christo & de Ecclesia*. Non igitur conjugium sive matrimonium, quod mares atque scemina inter se contrahunt, Sacramentum est, ac ne mysterium quidem, sed conjunctio Christi & Ecclesiæ ipsa quidem etiam, non Sacramentum, sed mysterium est venerandum & adorandum. Eph. V, 25, seq. Voluit autem isto commentitio honore, quod matrimonium affecit, ut Sacramentum haberetur, Anti-Christus Rom. tegere turpitudinem impuri coelibatus, quem à suis tanquam necessarium exigebat. Nam isti coelibes cauti magis quam casti, suum vitæ genus populo commendabant, tanquam non modò sanctius & perfectius, sed etiam tutius & à peccati prolapsu remotius. *Marcion & Apelles* etiam conjugium respuerunt. Illius Discipuli coitum sceleratum esse docebant. *Tatianus* impurum esse dixit, idque probare voluit ex *Pseudo Evangelio. Essai* non ducebant uxores ob vitandam intemperantiam. Pontificii Dd. quidam scortationem conjugio anteferunt, ut *Hosius, Pighius, Costerus &c.* vid. Joh. Botfacci *Moral. Gedan. p. 249. a.*

Concors  
esse debet  
Conjugiū.

§. IX. Conjugium Lege Divinâ sanctum naturæ auxilium, infirmitatis remedium, & pacis vinculum est. *Mulier de Adami Costâ effingitur in concordie suffragium, & in ampliationem naturæ. Natura una dissipatur arte formantis, judicat Itauricæ Episcopus Orat. 2. Ut una mens construatur*

ad





*ad imitationem naturæ.* Hæc erat connubiorum felicitas eò statu jurgiorum ignaro. Verùm serpentis astus non solum servos cum Domino, sed etiam conjuges secum ipsis commisit. Eva debitam viro subjectionem averſa Divinitatem temerè ambit, ut paritatem nanciscatur, vel ex tunc subjici malè docta est. Hinc nonnullis conjugium ex se pacis nexus & concordia *Magisterium*, ipsorum malignitate est *discordia stadium*, dissidii palæstra, litium officina, certaminum campus. Cæterum Sufannam, ait Tertull. in *stadio* mariti non velatam deambulasse. Domus maritata ingeniose vocatur à Tertull. *stadium*. Nam stadium erat curriculum, in quo cursu & luctatione athletæ exercebantur, & sæpe conjuges domo veluti stadio verbis decertant, ac in diversa tendentibus studiorum conatibus pugnant. Quare animi sunt explorandi, tamqve diu, si possis, cum illa versandum, quam jungere tibi velis, donec modium salis cum eâ consumseris. Nota & probata ducenda i. e. quæ integra sit fame, honestis natalibus orta. Labes enim sanguinis & morum ad posteros facile derivatur. Hinc Horatius:

*Fortes creantur forribus & bonis:*

*Est in juvenis, est in equis patrum*

*Virtus, nec imbellem feroces*

*Progenerant aquila columbam.*

*Humilis & viro Devota.* Hinc apud Romanos sponsa cingulo præcingebatur ex lana ovis facta. Hæc Zona à sponſo solvebatur. Meminerit igitur sponsa, se oviculam esse à marito nutriendam. *Piè auspicianda nuptia.* Veteres, ne in quieto die vel Cælo turbatiore sponsalia inirent, summo pere caventes, signatores & auspices suos, diem quoqve præparatoriam habebant, quam proteleia appellabant. Hæc enim nuptam virginem in arcem ducebant, parentes etiam victimas ob conjugium (quod etiam  $\pi\lambda\theta$  vocant) immolabant.



*Conditiones  
concordia  
connubia-  
les,*

§. X. Inter Conjuges debet esse *pacifica conversatio*, quæ est *prima conditio* matrimonii. Sir. XXV, i. 2. In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus: Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentientes. *Secunda conditio* matrimonii est *fides thori*, quatenus mulier aut vir nulli alteri misceatur. Nam de muliere, quæ frangit fidem thori, habetur Sir. XXIII, 33, seqq. *Tertia conditio* est, quod perpetuum, & non nisi morte interveniente dissolubile. Unde Apostolus ait 1. Cor. VII, 39. Mulier alligata est legi, quamdiu vir ejus vivit, quod si dormierit vir ejus, liberata est à lege viri sui. Imò, ex quo matrimonium consummatum est, datò, quod conjuges se invicem possint separare *ad religionis ingressum*, matrimonium tamen semper manet inviolabile, quia nunquam, altero vivente, potest alter alteri copulari.

*Non à ver-  
bis ad ver-  
bera deve-  
niendum,*

§. XI. Culmen amarulentæ tyrannidis est, *verberibus sevirè in uxorem*, quod ne apud Ethnicos quenquam fecisse legimus, nisi temulentum & insanum. Hinc *lex Civilis* permittit uxori, repudii auxilio uti, si probare possit, maritum verberibus illam affecisse. Et rationem reddit: Quia verbera sunt ab ingenuis aliena. *Cod. l. 5. tit. 17. de Repudiis, atque in Novell. Constit. 117.* Non enim quævis superioritas dat potestatem coercendi inferiorem per verbera. Si duo ineant amicitiam hæc lege, ut, qui minor est ætate, pareat majori, & illius consilio & prudentia dirigatur in omnibus, virtute hujus pacti tenetur obedire. sed si id facere recuset, non potest verberibus cogi ad officium. Idem dicendum est de contractu matrimoniali. Nam conveniunt maritus & uxor in amicabilem quandam vitæ societatem, ita ut uxor viro subiecta sit, & ab illo dirigatur, sed ut socia, non ut serva, consilii, non plagis. Rationem affert Philosophus, (Arist. Oecon.) quia non oportet uxori talem metum incutere, qui repugnat & pudori & amori. Utrumque autem tollit metus ille



ille servills, qvi per verbera incuritur. Neqve oportet qvenqvam exercere in alium invitum potestatem nullo jure nixam. Sed nec *Divinâ nec Humana lege nititur potestas illa castigandi uxorem per verbera.* Adde deniqve: Illud non faciendum, qvò sine peccato fieri non potest, qvòdque semper ex hoc peccato amarulentia originem suam ducit. Nam qvamvis parentes filios suos sæpe castigent ex amore, tamen & experientia & conscientia uniuscujusque testabitur, neminem ad uxorem verberibus afficiendam venire, nisi ex ira, amaritudine, aut odio. *Qvæ omnia illicita sunt, & matrimonio ex Diametro contraria.*

§. XII. *Sponsus in nuptiis diligentius ornari solere, virtustus & communi omnium gentium exemplo confirmatus mos est, neqve damnari debet, modò intra Christianæ modestiæ fines sese contineant etiam illæ, qvæ aliis opulentiores sunt, ne superbiâ & luxu peccent, qvè factum & petulantiam in utroqve sexu SS. severè reprehendit Ef. III, 16, seqq. Eph. I, 8. 1. Pet. III, 3.*

*Sine ornatus Neo-  
Nuptiarum  
ordinatus.*

§. XIII. *Opera pretium erit videre: An liceat filiis matrimonium inire absqve consensu parentum?* Bellarm. de Matr. Sacr. lib. I. c. 19. putat, consensum parentum non esse necessarium ad matrimonium, qvia Gen. XXVI, 34. *Esau duxit uxores duas, qvæ ambæ offenderant animum Isaac ac Rebeccæ parentum ejus, nec tamen Isaac illud conjugium irritavit: Et SS. simpliciter uxores vocat. R. (1.) Facti id esse, non juris.* Et fuit *Esau vir nequam, atqve adeo parentibus inobediens*, ut non sit mirum, cum semel, bis, terve egisse non tantum præter, sed & contra voluntatem parentum. (2.) SS. autem eas uxores appellare potuit Historice & de facto. (3.) Non liquet è Textu, eas invitis parentibus ductas, qvia, qvòd dicuntur fuisse amarissimæ animis Isaaci & Rebeccæ, id æqve de tempore post nuptias, qvam de eo, qvòd antecessit, accipi potest. (4.) Uxores eæ in SS. appellantur, verum eâ de causa, qvia sic ab Esayo habebantur, & qvia

*Consensus  
Parentum  
requiritur.*

nationes, inter quas degebat, illas pro uxoribus habebant. At hinc non colligitur, SS. tale matrimonium ratum habuisse. Eadem formulâ dicendi usus est Paulus I. Cor. VIII, 5. *Quemadmodum sunt Dii multi & Domini multi.* Deos, inquit, multos esse, non quod res se revera sic habebat, (unus enim Deus est) sed quia vulgò ita credebatur, & publica persuasio censebat, infinitum Deorum esse numerum. Ideo *Dii*, inquit, *multi, sed nobis recte sentientibus, unus est Deus & unus Dominus Jesus Christus.* Non est insolens neque alienum à SS., ita res appellare, ut homines vulgò loqui solent, aliàs tamen, cum propriè loquuntur, rem quamque suo nomine appellent. Verum dixeris: *Filios Esau* nunquam legitimos non fuisse *legitimos.* *Et* Habuisse quidem Esau magnam posteritatem, sed legitimamne an secus, à SS. non traditur. Quibus adde, apud eas nationes, inter quas vivebat, illos fuisse habitos legitimos. Non enim illæ verbum Dei habebant, quo mandatur, ne id fiat, & legem naturæ mirum in modum corruperant. Certe *Simson* noluit sine consensu ducere uxorem. Et sane signum est honestatis & gratitudinis erga parentes, si absque illorum consensu & scitu matrimonium non contrahatur. Ab initio *Adamus* non delegit sibi conjugem, Deus illi pater fuit, & Evam ei adduxit. *Abrahamus*, cum *Isaacus* jam vir esset, misit servum ad cognationem suam, qui ei uxorem inde inveniret. *Isaac* item misit *Jacobum* in Mesopotamiam ad avunculum suum, eò nimium consilio, ut ibi sibi uxorem nancisceretur. Postea successit *lex* à Deo per *Mosen* lata, ut filii suos parentes honorarent. Honor autem exhibendus non tantum est aperire caput, de via cedere, atque assurgere, verum oportet etiam progenitores alere, si opus fuerit, & se erga eos officiosè præbere. Unde patria potestas definitur, *vinculum pietatis, quo filii parentibus obstringuntur ad præstanda Officia humanitatis & gratitudinis.* Quod si aliis in rebus filii parentibus debent obtemperare, certè in matrimonio contrahendo maxime debent.



debent. Hæc de re *lex peculiaris est Exod. XXII, 16. Si puella, quæ non sit desponsata, seducta fuerit, debet violator dare dotem, & eam accipere uxorem.* Verùm adjicitur: *Si pater voluerit, alioquin dotem tantum dabit, nec puellam uxorem habere in vitò patre.* Et *Num. XXX, 4. seqq. Si puella voverit votum, & Pater audierit, neque obstiterit, firmum erit votum. Sin vero contradixerit, irritum erit.* Quid autem est votum? *Promissio facta Deo.* Matrimonium autem promissio est, quæ fit homini. Quod si Deus votum sibi factum permittit judicio Patris, multò magis matrimonium ei permittet, cum sit promissio facta inter homines. 2. *Sam. XIII, 13. Thamar Amnoni fratri suo respondet: Si me petieris à Patre meo, minimè me sibi negabit.* Consuetudo tum erat, ut filia à parentibus peterentur. Hic vero non disputo, *an Davidi licuerit Amnoni dare sororem suam in uxorem.* Præterea Paulus *Col. III, 20.* ait: *Fili, obedite Parentibus in omnibus,* nihil excipit ita scribens, sed, in omnibus, ait, quæ scilicet contra verbum Dei non imperaverint. Et *1 Cor. VII, 36.* quàm apertissimè demonstratur, parentum esse, filias maritis elocare. Nec id tantum lege Dei, sed etiam naturæ lumine cognitum est, & Leges Civiles hoc idem statuerunt.

§. XIV. Quid vero de *Polygamia* statuendum? *Illicita est Polygamia simulanea, non successiva.* *Duplex est castitas, alia singularis sive Heroica, quàm non omnis capere potest, utpote pro singulari arbitrio Dei concessa quibusdam Matth. XIX, 12. Alia verò communis, & hic est vel virginalis vel conjugalis.* Conjugalis consistit in eo, ut duæ non plures personæ sint in una carne. Tot enim Deus personas in conjugio voluit esse, quot creavit, & in prima institutione copulavit, actu exemplari. Duas enim, non plures copulavit. Ex quo fundamento Christus disputat contra temeraria Judæorum divortia. Per hæc enim fiebat, ut unus maritus plures simul haberet uxores, etiam de factò, quàm superinducebat, aliam de jure, quàm extra casum adulterii, dato libello repudiù dimittebat. Id quod contra

C

in-

institutionem Divinam est Matth. XIX, 4. Dixi autem non plures *smul*. Nam *successive* licuisse plures habere, patet ex Matth. XXII, 24. Quorum nonnulli referunt *Josephum* putatitium Christi parentem. Statuit enim *Gregorius Nyssenus* Orat. 2. de Resurrect. *Josephum* istum ante *Mariam* Deiparam sibi desponsatam habuisse aliam uxorem, ex qua *Jacobum Minorem*, *Josen*, *Judam*, & *Simonem* fratres Christi dictos suscepit. Ineptæ ad matrimonium contrahendum inter sese sunt personæ consanguineæ, quales erant *Herodes* & *Herodias*, *Philippi* fratris uxor Matth. XIV, 4. An ex eodem loco sequatur, illicitas esse nuptias secundas? Ait *Hieron.* Dicendo autem masculum & feminam, ostendit, secunda vitanda conjugia, Non enim ait. Masculum & feminas, quod ex priorum repudio quarebatur, sed masculum & feminam, ut unius conjugis consortia neciterentur. Sed negatur consequ., fœminas non licet ducere simul, Ergo nec successive. Scimus, solum *Noachum* arcam ingressum esse cum unica uxore, solus cum tribus filiis, è tribus quilibet cum unica uxore Generi hominum servando servantur octo animæ, ut tres cum tribus in illo octonario profint generi humano legitime propagando, non modò, ut in tribus ipsi sint, sed ut in tribus unus ex una solus dependeat, in una acquiescat, unius uxoris unus sit vir, uniusque viri unica uxor, sed etiam, ut indissolubili nexu unitatis universitas servetur & ut à tribus fœcunditas, quæ jam in uno per senium deserat, ad alios perveniat. Vitæ œconomicæ & frugalitatis domesticæ maximè probata spectacula, societatis conjugalis sanctioris & jucundioris genuina Exempla, quando quilibet illorum octo idem est, quod alter, in uno conformi animo duo corpora, in duobus corporibus unus animus unusque consensus. Ea unitas effigiem spirat primæ illius unitatis inter *Adamum* & *Evam*, cum à primo rerum initio primum à Deo instituitur matrimonium, ut essent duo in carnem unam, in mentem unam, in unam concordiam, quod in pluralitate non consistit, nam ubi



ubi pluralitas est conjugum, ibi unitas matrimonii desinit. Non dicit Deus ad Noam, non dicit ad Noæ filios: Accipite, quot uxores volueritis, quot placuerit accipere, accipite binas, ternas, quaternas, & ingredimini arcam. Quod in primo primi mundi homine constituit Deus, id in primo secundum mundi homine confirmat idem Deus, & in arca Noæ non plures mulieres, quam viros iussit reservari, ut uni non esset, nisi una sola conjux. Hoc tam pulchrum unitatis paradigma etiam in ipsis cognoscitur animalibus, dum feræ cicuresque animantes unâ versantur paria cum paribus disparia specie. Unus & una ex quâque ingreditur specie, non binæ fœminæ, non masculi bini. Quisque avis cum suo jugali, quodque animal cum suo compari intrat arcam, ut nova oriretur genesis. Propagationi par destinabatur, masculus & fœmina. *Ast cur tam stricta lex irrationalibus posita?* De hoc tanquam jugalis thalami Emblemate *Tertull. de Monogamia, c. 4. p. 467.* ita differit: *Reformatio secundi generis humani monogamiâ matre censetur, iterum duo in una carne crescere & redundare suscipiunt. Etiam in ipsis animalibus monogamia cognoscitur. Dispensationem vero Polygamia cessare jam etiam sub Nov. Test., hinc manifestum est, quod fundamentum sive ratio ejus plane jam evanuerit, ideoque sublata causâ, æquum sit, ut effectus etiam cesset. Quod verba Petri Martyris tum reducunt, sic differentis: Christus declaravit legem, illamque ad primam institutionem revocavit. Itaque quæ eam jam transgreditur, facit contra apertum verbum Dei. Deinde sublata causa, necesse est, tolli etiam effectum. Causa autem erat propagatio, eâ nunc nihil opus est. Deus enim habet jam cultores per universum terrarum orbem. Rationes dispensationis sub Vet. Test. docti has allegant: (1.) Multiplicationem prolis in Ecclesia Dei, quæ, cum tunc esset intra cancellos populi Levitici arctata, & ubivis homines impii extra istum populum, etiam mediante ipsa polygamia, in immensum multiplicarentur, placuit, inquit, Deo, etiam*

filiis suis eam concedere, ut & sanctum ejus semen numero-  
 sius fieret. Quod & innuisse *Augustinum* volunt, cum dice-  
 ret. (*lib. 22. contra Faust. c. 47.*) Eò tempore multiplicandæ po-  
 steritatis gratiâ multas uxores habere nulla lex prohibebat.  
 (2.) *Statum populi Israëliti* tum plane *infantilem & subobscu-  
 rum* per tot cerimoniarum umbras & involuera. Putantque,  
 certum esse, concedere subinde plurima infantibus suis Patres  
 terrenos, quæ ætatis provectionis liberis largiri non solent.  
 Atque ita etiam Deum cum populo suo Israëlitico processis-  
 se, permittentem nempe ei benigniter polygamiam, quam  
 tamen nobis sub Nov. Test. severe interdixit. Quibus *ter-  
 tiam* quidam ex *Augustino* considerationem addunt, à futura  
 nempe *conjunctione* Judæorum & Gentium *cum uno maximo*  
*Jesu* sub Nov. Test. desumptam, quam volunt per Patrum  
 plurium, quam unius uxoris sumtionem fuisse adumbratam,  
 & per Gentium vocationem adimpletam. Quod tamen  
*iniqua*, quia plus subtilitatis quam soliditatis videtur ha-  
 bere, alii suo loco malunt relinquere. Atque adeo conclu-  
 dunt, qui Patribus Vet. Test. magis hic favent, cum duæ sal-  
 tem rationes priores non amplius durent sub Nov. T. dictam  
 etiam *Dispensationem* iis quippe inædificatam cessare jam  
 oportere, primæ namque de *Monogamia simultaneâ* institutum  
 quibusvis esse observandum. Pari modò ac jam sub Nov.  
 Test. fratricam vel proprias sorores ducere non amplius licet,  
 non ex novo quodam de eâ non ducendâ mandato, sed vi  
 antiquorum interdictorum Lev. XVIII, 9. XX, 17. nobis  
 præscriptorum. Quia nempe rationes & fundamenta du-  
 cendæ fratricæ &c. quæ in V. T. obtinebant, jam evanescent.  
 Benè *Hipponensis Doctor* lib. 5. de Civ. Dei c. 16. Cum non essent  
 ulli homines, nisi qui ex illis duobus nati fuissent, Adamo nempe &  
 Eva, viri sorores suas conjuges acceperunt, quod profecto quanto  
 est antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est  
 damnabilius religione prohibente. Refer huc locum Matth.  
 XIX, 5. *Eis obnoxia p̄cia* i. e. erunt unus homo, non animo-  
 rum

rum





rum solum, sed etiam corporum conjunctione, quia mas & foemina indissolubili scedere sibi invicem juncti. Hinc patet, quod *frivola* admodum sit *argumentatio* *Berhardi Ochini*, ex eo inter alia Polygamiam stabiliri satagentis: Quod, ceu *lex de diligendo proximo* impleatur, licet quis vel maxime plures proximos diligit; Ita quoque praecipuum de diligenda uxore tanquam propria carne impleri possit, si vel maximè plures uxores maritus polygamus diligit. Sed *h.* Distingue inter *Christianam dilectionem*, quæ in animorum saltem conjunctione consistit, & inter *maritalem conjunctionem*, quæ corporum quoque conjunctionem complectitur. Ibi multitudo potest habere locum, hic non. Accedit, quod hæc conjugum Conjunctio longè arctior sit, quàm illa amicorum sive Christianorum, ita nempe, ut nulla in naturâ detur arctior, quippe cui etiam conjunctio, quæ inter liberos & parentes est, cedat. Sed dicat aliquis: *Omnes fideles sunt Christi sponsa*. Ergo *multa foemina possunt etiam esse unius viri uxor*. *h.* Non singuli fideles sunt Christi sponsa proprie loquendo, sed tota Ecclesia, quæ omnes fideles complectitur, Christi sponsa est. At in matrimonio non omnes simul, sed unaquæque seorsim uxor est. Distingue præterea inter *nuptias spirituales & corporales*. Ast opponat aliquis *Exemplum Patriarcharum*. *h.* *Ambrosius*: *Quando mos erat, crimen non erat*. *August.* *Expof. Ep. ad Gal.* excusat ita Patriarchas, quod ii uli fuerint foeminis non ad explendam libidinem, sed ad prolis successiorem. *Chrysof.* *Hom. 56. in Gen. cap. VI.* eodem fere inclinatur. *Tunc*, ait, *quia principia erant*, *permisum fuit cum duabus aut tribus, aut pluribus uxoribus misceri, ut humanum genus multiplicaretur, & pietas incrementum caperet*. Addit: *Adveniens Christus & virtutem in hominibus plantavit, & Angelos (ut ita dicam) ex hominibus fecit, communemque illam veterem consuetudinem abolevit,*



*Solubile est Matrimonium, non quoad thorum tantum & mensam, sed & vinculum, si causa adfuit à Christo allegata.*

§. XV. Qv. *An matrimonium sit dissolubile?* Pontificii matrimonii vinculum excepto casu mortis indissolubile statuunt, quem errorem Tridentini sub anathemate sanxerunt Sess. 24. cap. 5. Sed hoc anathemate refutant verba Christi Matth. V, 32. cap. XIX, 9. *Quicumque dimiserit uxorem, παρεκτός λόγος πορνείας, præter rationem scortationis, (h. e. interprete Nicol. Hemmingio in suo de Conjugio & repudiū libello, nisi ob causam, quæ eam rationem criminis habet, ut scortationem agvet, & proportionem quandam quoad sceleris gravitatem cum scortatione habeat) & aliam duxerit, mæchatur.* Pontificii quidem exceptionem Christi, nisi ob rationem fornicationis, ad solam dimissionem quoad thorum & mensam restringunt, non autem ad diremptionem vinculi, vel ad potestatem ducendi aliam. Sed sine dubio Christus de eâ dimissione loquitur, de quâ Pharisei eum interrogabant, cum interrogatio & responso convenire debeant. Hæc verò erat dimissio uxoris cum potestate ducendi aliam h. e. cum *solutione vinculi* conjuncta, hanc enim Judæorum repudia includunt. Agnoverunt hoc ex Pontificiis *Cardinalis Cajetanus* Comment. in h. l. Matth. ubi probat, Romanos Pontifices in his judiciis matrimoniorum errasse, & *Ambrosius Cartharinus*, qui vim literæ inferri putat, nisi de dimissione, cum qua vinculum solvitur, acceperis. Ex Veteribus *Ambrosius*, vel quisquis autor sit, Comment. in 1. Cor. VII. expresse pronunciat, licere viro, ducere uxorem, ubi dimiserit uxorem peccantem. Aliud quidem *Augustinus* sentit, sed ita, ut in Divinis sententiis obscurum hoc esse agnoscat. Lib. de Fide & Operib. c. 19. In ipso Concilio Tridentino Græci  
 „ Ecclesiæ Latinæ subjecti per Oratores Venetos contra impudens & imprudens hoc anathema protestati sunt, teste Petro Svavi Polano lib. 8. Hist. Conc. Trid. In nostris Ecclesiis separatio Conjugum quoad thorum & mensam non temere, ex magni tamen momenti causis variis; Quoad vinculum verò in Consistoriis non nisi ex duabus causis, qua-





quarum altera est adulterium Matth. XIX, 9. altera malitiosa desertio, 1. Cor. VII, 15. decerni solet.

§. XVI. *Qv. An Ministris Ecclesialiceat uxores matrimonio sibi jungere.* Dogma Diabolicum, qvo Pontificii illos conjugio interdicunt, evertitur Exemplo *Petri* Apostoli, qui habuit *socrum*, adeoque etiam uxorem, cum *socrus* uxoris matrem notet. Illam quidam *Perpetuam*, alii *Concordiam*, nonnulli *Mariam* nominatam dicunt. *Clemens Alexandrinus* scriptor vetustissimus, qvippe temporibus Apostolorum vicinus, refert, *filias* quoque habuisse *Petrum*, nempe *Petronellam* & *Feliculam*, quas nuptii dederit. Hinc solide inferitur, *Petrum*, quantumvis Apostolum, in conjugio vixisse, & qv od *Christus* non dedignatus fuerit ad *Petrum* divertere, ipsumque ad Apostolatam eligere, etsi uxorem habuerit, ac conjugali vitæ generi fuerit addictus. Itaque si *Petro* licuit in summo Apostolatus munere uxorem habere, quidni & hodie *Episcopis*, & *Pastoribus* seu præconibus Ecclesiasticis in conjugio vivere liceret? *Maldonatus*, *Tirinus*, & alii *Pontificii* Interpretes commentariis suis ad *Matth. VII*, ne verbum quidem inferunt de Conjugio Sacerdotibus interdicendo, aut de Cœlibatu eis commendando. Cur obsecro? quia tribules suos animadvertunt causâ excidisse, qvippe *Petri* Apostoli mariti & viri conjugalis Exemplo convictos. *Corn. à Lap.* qvidem Comment. super *Matth. VIII. p. 195. col. 1.* excipit, qv od *Petrum* à Conjugio *Christus* vocaverit, qv od *Petrus* susceptâ Apostolica Provinciâ uxorem reliquerit, & postea cœlebs vixerit. Id vero eadem facilitate rejicitur, qvâ objicitur, qvippe merum figmentum & nugamentum, aut prætextus omni SS. testimonio destitutus. Contrarium potius colligitur ex rotundis verbis *Pauli 1. Corinth. IX, 5.* ita scribentis: *Annon habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, quemadmodum & ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas.* Hic disertè perhibetur *Cephas* sive *Petrus*, utique post susceptû Apostolatam s; munus Apostolicum

Licet, si  
libet, uxores esse,  
Ecclesia  
Ministris,

”  
”  
”  
”

uxo-

uxorem circumduxisse. Quid planius, quid luculentius? Dicta alia & Exempla, cum Biblica, tum Ecclesiastica, quibus Theologi nostri conjugium Ecclesiastico, quam alii hominum ordini competere solidissime evicerunt, consulto prætermitto, utpote passim obvia, atque ad præsentem locum saltem generaliter spectantia. *Objicitur* quidem *1. Cor. VII, 35. 36.* Sed sensus Pauli ibidem est, se non aliud velle, quam ut intelligat, cuique *liberum esse &c.* Cum neque matrimonium neque cœlibatum ex eorum numero sint, in quibus consistit regnum Dei, iniquum fore legem præscribere. Ut enim ad cœlibatum nemo cogi debet, qui vel non est continens: Ita neque Conjugium debet omnibus obtrudi. *vid. Rud. Gualterum in Ep. ad Corinth. 1. p. 38. b.* Quod ad *electionem* attinet, quia Salvator virginitatem, continentiam & castimoniam elegit, quis hoc non intelligit, de eodem delectu gloriari quoque sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam? Sed eadem nihilominus & eos, qui honestis nuptiis ligati, pro sui conditione status ad salutem pervenire posse non dubitat. Nam *venerabiles esse nuptias, (Hebr. XIII, 4.)* ac Dei aspirante gratiâ cœleste regnum obtinere, quis vel ex eò non agnoscat, quod ad nuptias ipse Salvator invitatus fuerit, ut iis benediceret? *Quod si tum nuptiis interesse noluisse, earundem eversor fuisset, nec unumquemque pro sua imbecillitate benigne atque indulgenter admittere putaretur.* Quod contra Hieracitas propugnat *Epiph. lib. 2. T. 2. p. 714.*

*Nuptia  
secunda,  
etsi non  
semper se-  
cunda, li-  
cita sunt  
Jure Divi-  
no.*

§. XVII. *Qv. An liceat ad secunda vota transire?* Quod si quis post uxoris obitum secundas nuptias pro sua imbecillitate desiderat, minime id quidem veritatis regula prohibet. At *Phrygasia* prohibent, adeoque Pauli illâ sententiâ comprehenduntur: *Prohibentium unbere.* Nam eum, qui secundis nuptiis illigatus fuerit, expellunt, ac ne facere illud audeat, vim & necessitatem adhibent. Nos autem neque necessitate ulla constringimus, sed svademus, nec aliter quam honestis præceptis ac consiliis eum, qui quidem possit, ad id præstandū

iat.

impellimus. Eum vero, qui minus potest, nullâ vi cogimus, nec à salute prorsus excludimus. Nam tenuiorum imbecillitatem ferendam esse cuilibet Divinò sermone præcipitur. *Epiph. lib. 2. T. 1. p. 410. Montanista* quidem absolute secundas nuptias damnarunt, & maritum post obitum primæ uxoris non licere alteram uxorem ducere docuerunt. Inter *argumenta* ipsorum, quæ *collegit Tertull. in lib. de Monog.* est etiam hoc, quod homo juxta monitum Christi simplex esse debeat sicut columba *Matth. X, 16.* Columba vero sit avis innocua ac pudica, quia unam fœmellam unus masculus novit. Sed committitur fallacia comparationis per extensionem ultra tertium, ad quod à Christo adhibetur. Non licet præter scopum ac mentem Christi similitudinem columbæ ad quævis pro arbitrio extendere, alioquin plurimorum absurdorum lerna se aperiret. Jam vero homines columbis dicto loco à Christo comparantur tantum ratione simplicitatis, sicut respectu prudentiæ serpentibus, prout *Hieron.* recte explicat Epist. 17. ad Paulin. *Habero,* inquit, *simplicitatem columba, ne cuiquam machineris dolo, & serpentis astutiam, ne à malorum supplanteris insidiis.* Itaque similitudo columbæ ad Monogamiam adstruendam, aut ad damnandas secundas nuptias minimè accommodari poterit. Neque columbis generaliter Physiologi tribuunt istam proprietatem, quod unam fœmellam unus masculus noverit, sed solummodò *turturibus,* quamvis eâ de re adhuc lis sit inter eos. Atqui Christus loquitur de columbis in genere, non de turturibus in specie, quippe nominans *περιστερας,* non *τρυγῶνας.*

§. XVIII. Quid de nuptiis Cognatorum spiritualium sentiendum? Notetur h. l. inter personas prohibitas cognatos quoque spirituales *compadres & commatres,* & ex *Baptismo* ab his susceptos filios filiasque referri. Sed in primitiva Ecclesia nusquam invenio spirituales cognationem, inter matrimonii impedimenta locatam, Primus, nisi fallor,

Cognatio  
Spiritualis  
hand impe-  
dit Matrimo-  
nium.



saltem unus ex primis, qui hæc sponsalia vel tales nuptias irritavit, fuit *Gregorius M.*, qui in Concilio Romano edixit: *Si quis commatrem spiritualem duxerit, Anathema sit.* Sed & hoc addidit: *Si quis Dei ancillam i.e. sanctimonialem in conjugio duxerit, Anathema sit.* Uti eum loquentem inducit *Regino Prumiensis.* In eundem sensum *Zacharias Papa* ad *Theodorum Episcopum Ticinensem* rescripsit: *Pitacium nobis tua veneranda fraternitas obtulit, per quem sciscitari curasti, se liceat filio, cujus pater alterius filiam ex S. Baptismate susceperit, suscipiam, i.e. spiritualem ejus patris filiam (quod dicitur crudele est), in matrimonio accipere, quod apud te enormiter asseruisti contigisse. Sed bene tua sancta fraternitas compertum habet, quod Dominus praceperit per Moysen: Turpitudinem patris tui, vel matris, vel sororis non revelabis, turpitudinem enim tua est. Cum igitur à propria consanguinitate jubeamur abstinere, multo magis à spirituali patris nostri filia omni excusatione seposita sub nimia distinctione nos cavere convenit, ne in iram Divini examinis incidat, si quis tali facinore mistus minimè restrinxerit frena luxuria. Unde & omnes omnino cavendi sunt à tali sceleris commixtione, ne in perpetuum pereant, sed hunc, qui hujus perniciosæ temeritatis auctor, anima salutem despiciens, impiissimo se miscuit matrimonio, per omnia fraternitas tua separare studeat, & penitentia digna submittere, quatenus animam ejus ab aeternâ damnatione eruatam lucreris.* Audi *B. Lutherum*: Die Ursach die Ehe zu wehren/ so da ist geistliche Freundschaft/ als wenn ich ein Mägdlein aus der Tauffe hebe/ so kan weder ich noch mein Sohn sie/ oder ihre Mutter/ oder ihre Schwester zur Ehe nehmen/ es sey denn weiblich Geld da/ das ist lauter Narwerck und Ulfangen/ nur um Geldes willen/ und die Gewissen zu verwirren erdacht. Drum laß das Narwerck fahren/ und wenn du wilst/ so nimmi zur Ehe/ Gott geb/ es sey Gebatter Pathe/ Gebatterin Tochter/ Schwester/ oder wie sie sind/ und halte diese Geldsuchtige Ursach vor nichts. Tom. 2. Jen. Germ. vom Ehetzhen Leben. *Consentit Chemnitius* parte 2. Exam. Concil. Trid. de Matrim.

*Quod*



Quod cognatio spiritualis, inquit, matrimonium vel contrahendum, vel jam contractum dirimat, & SS. & vera antiquitati profus ignotum est. Aliàs enim inter Christianos nullum posset constare matrimonium, quia omnes sumus fratres & sorores in Christo. De Civili tamen Jure similiter ea persona omnimode ad nuptias venire prohibetur, quam aliquis, sive alumna sit, nec ne, de S. Baptismate suscepit. Jure provinciali in Ducatu Luneburgensi idem observatur, ita enim habet ordinatio: Es soll keiner die / so er aus der Tauff gehoben / zur Ehe nehmen: vid. Observata D. Hahnii ad lib. 23. Digest. tit. 11. Verùm non inde hoc est, quod Jus Divinum aut naturale has nuptias condemnet, sed quod in tanta nupturientium copia decorum videatur, susceptorem à susceptâ (licet nulla inter hos sit sanguinis reverentia) abstinere, quod susceptores loco parentum censeantur. Dein Civiles hæ prohibitiones ad solum susceptorem & susceptam vel susceptricem & susceptum sunt restrictæ, at Jure Pontificio ad novem personas extensæ.

§. XIX. Qv. An solennitates Ecclesiastica observari sint necessaria circa matrimonia? Inter alias cerimonias superstitiosas, quas in Libro suo Liturgico Puritani Scoti rejiciunt, etiam annuli connubiales inter Neo-Nymphos numerantur. Quo ipso, ut omnes à Pontificibus Rom. introductas cerimonias ex Ecclesiis suis radicitus extirpatum. iverunt, ita connubiales annulos inter solennitates Ecclesiasticas ab eodem autore profectas, aut in totum, aut in tantum improbasse videntur. Pro ipsis facere videtur, (1.) quod arrhas & solennitates Ecclesiasticas Episcopus R. Martinus A. C. 650., & ita post Bonifacii III. tempora cum jam Anti-Christus innotuit Ecclesiæ, instituisse legatur. Sed 2. ut omnia, quæ sunt in Papatu, non simpliciter rejiciamus: Ita etiam omnia Pontificum Rom. instituta non simpliciter improbamus. Præterea intervallum illud (intra sponsalia & Nuptias) suas rationes habet non contemnendas,

Solennitates Ecclesiastica summa habent usum,



& in populo Dei quoque fuit observatum. (2.) Quod olim, scilicet, cum institueretur Conjugium, non fuerit sic. Cum enim primi parentes matrimonii jungerentur, solennitatibus Ecclesiasticis non fuit opus. Sed 3. primos parentes ab ipso Deo, qui nullum errorem committere potuit, & ubi metuenda non fuerunt incommoda, quæ subsequenter temporibus non raro intervenerunt, fuisse junctos.

*Publicam  
Benedictionem  
Sacerdotalem,  
non quidem ad  
esse, attamen  
ad bene esse  
Conubiorum  
Christiano-  
rum perti-  
nere, asseri-  
tur.*

§. XX. *Quid de Confirmatione & benedictione matrimonii, quæ fit à Sacerdote, tenendum?* Illa quidem non necessaria habetur ad *essentiam* matrimonii spectans, interim observatur ex usu antiquo, & majoris vel sanctioris cautelæ ergo & benedictionis. Sic apud Veteres usurpatum Tertullianus lib. 2. ad uxorem. Ambrosius Ep. 70. *Mos antiquissimus est, ut benedictio conjugii à Sacerdote fiat in Ecclesia.* Sic in Decretis Paparum Evaristi & Hormisdæ, adde Soteris apud Platinam legitur. Atque ita servatum ab antiquo in Ecclesia, ut conjugium confirmarent ministri, eique solenniter benedicerent ad obvianda clandestina matrimonia. Hinc inter Canones *Johannis Metropolitanæ* in rerum *Moscoviticarum* commentario refert *Sigismundus Baro Herbersteinii: Matrimonium non nisi publice in Ecclesiis contrahatur.* Nos cœtum quidem frequentiore probamus, non tamen cœtum publicum totius Ecclesiæ particularis necessario adesse debere existimamus, cum testetur experientia, sæpius celebrari matrimonia extra Sacra, & publicum conventum totius Ecclesiæ. Nam non est actio ista merè Ecclesiastica, quæ desideret præsentiam totius cœtus particularis illius Ecclesiæ, cujus personæ contrahentes sunt membra, sicut *administratio Sacramentorum.* Est *contractus civilis*, sed *Divinus* etiam, quia intervenit Dei autoritas, i. e. institutum, quo statuit, vinculum hujus contractus non temerè dissolvendum aut violandum, haut tamen sequitur, non nisi Ecclesiæ interventu celebrandum, nisi velimus, quæcumque Deus instituit, etiam si non ad usum sacrum, in publica Ecclesiæ facie celebranda,





branda. Ex *Jure Divino* certum esse putant plerique, benedictionem Sacerdotis literaliter probari non posse, sed tamen moribus Judæorum, aliorumque populorum piè introductam. Id quod inde patet, quòd aliquot Exempla Patriarcharum & Judæorum dantur, ubi matrimonialis benedictio intercessit. Genes. XXIV, 60. Ruth. IV, 11. Tob. IX, 9. Et ipse Spiritus S. Epithalamium pepigit Ecclesiæ Sponsæ Christi. Hinc *Imperator Leo* ad omnia matrimonia constituit necessariam esse sacram benedictionem, sive ut Græci vocant *ιεραλογίαν*, adeo, ut sine hâc nullum voluerit esse ratum matrimonium. De *Jure* quidem *Romano* statuunt alii, hanc benedictionem non fuisse necessariam, aut de matrimonii substantia, aut *moribus Christianorum* est vetustissimum institutum, adeoque temporibus nostris ea *nunc necessaria* est manetque meritò, ut adeo inanis illa disputatio, hanc benedictionem Ecclesiæ non necessariam aut de *Substantia* matrimonii esse. Ambabus enim manibus hoc conceditur ex hæcenus dictis, sed mores prædominantur. *Quod totus mundus approbat, ego non audeo damnare*, ait *Baldus auriga* Jctorum, cui addo:

*Templa petit sponsus, sacras ut firmet ad aras  
Promissam thalami Numine teste fidem.*

§. XXI. *Qv. An nuptias die Dominica instituire liceat?* Judæis sæpissimè Sabbathò nuptias celebrari, autor est Buxtorfius Synag. Jud. c. 15. p. 323. Idque ideo, ut eò felicior sit concubitus, & majore Sabbathum honore afficiatur. Inde qui eâ noctè concipiuntur, ut plurimum in præclaram adolescere indolem, & in sapientum Discipulos evadere putant. Inprimis si bonæ & puræ interveniant cogitationes, nec tam coitûs voluptas, quàm Sabbathi cultus & honor spectetur. Sanior mens Christianis antiqvis etiam in veteri Ecclesia, qui, quâ erant in Deum pietate, solennia quædam tempora à nuptiis agendis exemerunt, & in hunc usque

*Die Dominicâ Copulatio, non computatio Nuptialis fieri potest.*



usque Diem nostræ Ecclesiæ nuptias non agunt diebus jejuniorum ac Festis, imò plerisque in locis à Diebus quoque Dominicis nuptiarum solennia haud malè sunt exclusa. Neque tamen quæritur, *an ritum benedictionis Sacerdotalis* cum aliis solennitatibus, quæ in Ecclesia frequentari solent, diebus Dominicis celebrari, licitum sit, hoc enim licere, nos non negamus. Verùm hoc præcisè in quæstionem venit, an peractis ritibus illis nuptiarum *convivia nuptialia* ritè ac sine peccato & scandalo institui queant? Hoc ut luculentius cognoscamus, *de conviviis publicis* disquirere lubet, *an diebus sacris illa ipsa instruere liceat*. Ubi non quæritur, num eò tempore, quando sacra peraguntur, & eò modo S. Ministerium ejusque cultum impediunt, ea convenient, hoc enim profanum, impium & scandalosum esse, fatebantur omnes; Sed *an peractis Sacris* & solennitatibus publicis convivia talia celebrare liceat. Equidem Judaica hypocrisis nota est, palati delictis & cupidinis sabbatizans, utpote in quibus non exiguum Sabbathi & cæterorum dierum discrimen situm esse persuasissimum sibi communiter habent. Sed locus *Neh. VIII, 10.* non est intelligendus de Sabbatho, sed de lætitia festi Neomenici vel novilunii, ut patet ex *ψ. 2.*, quod festum apud Judæos singulari lætitiâ celebrabatur vid. *1. Sam. XX, 27.* Interim tamen non illicita esse prorsus convivia, quidam putant, cum ipse Salvator Sabbatho domus cujusdam Phariseorum Principis introierit *Φαρισαίου τὸν ἀγῶν*, *Luc. XIV, 1.*, quâ phrasi totum prandium aut cœnam, adeoque comestionem variorum esculentorum notari constat. In primitiva Ecclesia usitata erant diebus sacris convivia charitativa, quæ dicebantur *Agapæ*, quæ publica erant convivia post peractam communionem Clericis & pauperibus declarandæ charitatis & grati animi ergo exhibita. Quod si igitur nostrates convivia sua eâ modestiâ, intentione, ac frugalitate instituerent, uti Veteres suas Agapas, optime etiam diebus sacris talia convivia permitti & celebrari



brari posse affirmaremus. At verò immanè quantum hæc convivia ab istis Veterum Agapis distant? Tantum enim abest, pleraque convivia nostratum esse ejusmodi exercitia pietatis, sobrietatis, & modestiæ, ut ferè nihil aliud nisi symposia ac comotationes dici mereantur. Ubi non tantum editur, quantum esurientibus sufficit, nec bibitur, quantum pudicis utile, sed etiam quantum volupe, ita, ut non solum modus excedatur, qui excessus fortè inter humanas fragilitates reputari posset, sed etiam plurimi talibus epulis cibo ac potu se ingurgitant, ut, quæ recta & justa sunt, facere nequeant. Accedit, quod, qui convivia vel nuptialia, vel alia parat, multis negotiis occupatus sit, quæ & ipsum & alios à cultu sacro avocant. De mulierum ornatu nondum dixi, quæ dum moliuntur, dum ornantur, annus est. Aliter enim in templis vestitiæ, aliter in nuptiis indutiæ videri amant. Profectò tota Dominica dies consultando, cursitando, astando, elixando, garriendo, ineptiendo transigitur ab aliis, quibus in mandatum datum, ut rectè curentur omnia. Jam verò Deus simpliciter omnia cultus sui impedimenta vult remota Exod. XXXI, 14. Ita nox porro in diem mutatur & sequens dies in noctem contra naturam ductum, nocturnæ quoque tenebræ ansam præbent multis flagitiis, quæ stata dies proscribit. Hinc itaque Imperatores Leo & Anthemius Decretis suis malo huic mederi volentes, omnia ejusmodi convivia diebus festis inhibuerunt. Ipse etiam Lutherus his de causis Wittebergæ nuptias die Dominicam abrogavit, teste B. Balduino l. 2. c. 13. Cal. Consc. Ita Dominicis etiam diebus prohibentur nuptiæ in Synodo Aquisgranensi sub Ludovico I. Imp. an. 836. habitam Can. 17. part. 2.

§. XXII. Quid de Choreis in nuptiis sentiendum? Choreas, ut Plato ait, dicitur à χορός, quod ea sit quædam gaudii testificatio. Et Servius, dum interpretatur carmen illud Virgillii:

Omnia



An promi-  
sca utri-  
usque sexus  
Saltationes  
licite sint in  
Nuptiis,  
disquiri-  
tur & du-  
bitatur.

Omnis quam Chorus & socii comitantur ovantes,  
ait, chorum esse coævorum cantum & saltum.  
Unde verò Choreæ ortum habuerint, variæ sunt opiniones.  
Alii putant, homines cum spectarent diversos motus stella-  
rum errantium & fixarum, saltationem invenisse, quâ illa  
motuum varietas repræsentaretur. Alii arbitrantur, choreas  
potius ductas fuisse à religione, quoniam apud Veteres Eth-  
nicos nulla ferè erant sacra, quibus non saltaretur. Ducebant  
quippe tripudia à sinistra parte altaris ad dextram, quo mo-  
tum cœli ab Oriente in Occidentem referrent, postea redi-  
bant à dextrâ ad sinistram, ut errantium stellarum cursum  
exprimerent. Quod fortè significavit Virgilius, cum diceret:

*Instaurantque choros, mixtique altaria circum,*

De obsceno saltandi genere omitto dicere, quia legibus  
aperte damnatum est. Pyrrhica & gesticatoria saltatio  
potest ad aliquos usus Reipubl. locum habere, sed ad no-  
strum institutum non pertinet. Quare de *εὐμελεία*, qua-  
tenus liceat, cum lætitiæ causâ exercetur, h. l. dicendum est.  
Mihî sanè videtur, hoc saltationis genus non esse naturâ  
suâ vitiosum aut prohibitum, quia *agilitas corporis* est do-  
num Dei, & si accedat aliquid artis, nimirum, ut corpus  
ordine, aptè numero, & cum decoro moveatur, non video,  
cur debeat reprehendi, modò in tempore, moderate, ac  
citra offensionem fiat. Quemadmodum enim canere licet,  
& ad gratias Deo agendas & laudes ejus celebrandas possu-  
mus uti cantu: Ita etiam moderatâ saltatione gaudium &  
lætitiâ animi testari possumus. David coram arcâ Domini  
publicè saltavit. Et puellæ victoriâ ejus de Goliatho  
choreis & cantibus celebraverunt. Maria item soror Moysi  
strato & interfecto Pharaone cum aliis mulieribus choreas  
duxit, & *ἐπινίκιον* cecinit. Quare cum sancti viri, &  
castæ mulieres usi sint choreis, non possumus eas naturâ suâ  
vitiosas dicere. Sed, quod hodie fit, ut viri unâ cum mulieri-  
bus permitti saltent, in SS. probatum non invenio. Maria

foror



foror Moſis non ſaltavit cum juvenibus, ſed ſeorſim inter mulieres. Neque David cum mulieribus choreas duxit. Et puellæ, quæ victoriam ejus celebrabant, inter ſeſe, non cum viris ſaltabant. Jam vero, qui toto animo atque omnibus viribus Deum amant, non ſolum debent mandata ejus obſervare, ſed etiam omnes vias præcidere, quibus illorum obſervatio impediatur. Verùm aliquis objiciet: Quod obſint choreæ moribus, & libidinem accendant, id temere & per accidens fieri. Judicium verò de unaquaque re faciendum eſſe non ex his, quæ per accidens acceſſerint, ſed ex iis, quæ per ſe inſunt. Reperiuntur quidam tam caſti & incorrupti, ut hæc ſpectacula poſſint animò integro & caſto ſpectare. Id fateor, nonnunquam evenire poſſe, verùm addo, non eſſe accidentia omnia ejusdem generis. Quædam enim ſunt, quæ admodum raro contingunt, quædam, quæ tam ad eſſe alicui rei poſſunt, quàm ab eſſe. Quædam verò ſunt, quæ sæpe & ex majori parte ſolent evenire. Hæc poſtremà in omni re debent conſiderari ac æſtimari quàm diligentiffime. Nec attendendum eſt, quid poſſit, ſed quid ſoleat fieri. Ariſtippus in purpurâ ſaltavit, & reprehensus, excuſavit, ſe illâ ſaltatione nihilo factum fuiſſe deteriore, ſed potius in illâ mollicitie animum Philoſophicum retinuiſſe. Sed tales voces non ſunt audiendæ, quia, ut Demotheſes ait, & à Juris peritis citatur, non eſt conſiderandum, quid interdum quivpiam faciat, ſed quid *in re mlo* fieri conſueverit. Sed ita, inquit aliquis, aufer etiam conciones & Sacramenta. Multi enim audiunt quandoque verbum Dei ad ſuam condemnationem, & multi ad judicium ſuum edunt & bibunt ſacramyſteria. Hic ſcire oportet, quædam ad ſalutem hominum conducere ac verbo Dei præcepta eſſe, quæ nullò modo auferri debent; quædam vero eſſe *adiaphora*, quæ, ſi videamus ad perniciem vergere, non ſunt ferenda. Legem Dei habemus de concionibus audiendis & Sacramentis percipiendis; De Choreis verò ducendis nihil præcipitur. Quamobrem hæc non ſunt inter ſe conferenda. Sed tantum hac vice.

SOLI DEO GLORIA,

E

No-



*Nobilissimo clarèque docto*  
*Dn. Magistro*  
 SYMPALÆSTRITÆ

S. P. D.

PRÆSES.

**M**Irari & rimari quis posset,  
 cur Tu, qui tantos habuisti Ma-  
 jores, *Proavum* Hectorem Mit-  
 hobium à *Mithoffen*/ ob bene merita ab  
 Imperatore FERDINANDO III. nobilita-  
 tum, *Avum* Daniele[m] à *Mithoffen*/ *Patrem*  
 Hectorem Johannem à *Mithoffen*/ *tres Can-*  
*cellarios*, non Magisterii tantum Gradum à  
 Facultate nostrâ Philosophicâ petieris, sed  
 & S. Ministerii Candidatus existere velis,  
 geminatâ vice, meo meiqve Dn. Collegæ  
 sub Præsidi[o], ex Theologia de Matrimonio  
 &



& Ministerio dissertaturus publicè. Notus namque Pontificiorum est clamor, non nisi è vulgo & fungò natos à Lutheri temporib9 fuisse Protestantium Theologos, manifestò Psevð-Ecclesiæ indicio. Sed nux illa nix, & vox ea nox est, hominum vana ac profana jactitantium. Retorquere eqvidem, proprioque talia objectantes gladiò jugulare liceret, si liberet vel ad ipsorummet summorum Pontificum provocare Exempla, v. g. Sixti V, qui, Suum quondam Pastor, pastorum suum gloriosè administrasse prædicatur ab ipsis Adversariis. Ast nolumus. Habuere sanè Ecclesiæ Protestantium, si gloriari fas est, æqvè ac Pontificia, Doctores Celsissimo illustriqve Stemmate natos. *Lutherana GEORGIUM, Anhaltinum Principem*, cujus prostant Conciones Sacræ, vitamque verè sanctam, recentioribus Gallorum, quorundam cavillationibus oppositam, lege sis apud D. Eliam Vejelium, Theodorum de Bry, & Johannem Boisfardum, conferque pulcherrimum Philippi Melanchthonis Encomium, quò Magno huius Theologorum Principi

pa

parentavit. *Reformata* GVILIELMUM,  
Urania Principem, gloriosissimum post Ma-  
gnæ Britannia Regem, Doctoris, nî fallor,  
Theologi quoque Characterè ornatû one-  
ratumque in Acad. Oxoniensi. Habuerunt,  
habentque adhuc, quorum Majores Barones  
& Nobiles. *Lutherana* Joh. Staupitium,  
Nicolaum Amsdorfium, Paulum Speratum,  
Matthiam Flacium, Joh. Pappum, Matthiam  
Hoëum, Cœlestinum Mislentam, Andream  
Virginium, Fridericum Preenium, Samuelē  
Vossium, Conradum Tiburtiū Rangonem,  
Welleros, Gemmingios, Krakevizios, Lyse-  
ros, Schulenburgios &c. *Reformata* Joh. à  
Lasco, Antonium Sadeelem, Theodorum  
Bezam, Franciscum Junium &c. Neve an-  
tiquitûs *Doctoris* aut *Magistri* titulum infra  
Illustrium Personarum dignitatem fuisse  
existiment, quibus id tantum illustre ac ge-  
nerosum, quod seculum sapit, atque ad pom-  
pam & splendorem, μετὰ πολλῆς φαντασίας, καὶ  
πρὸς τὸ θαυμάσιον, est compositum, ecce! Exempla  
JOHANNIS I. cognomine *Theologi, Ducis*  
*Mecklenburgensis*, sec. tertio & decimo, Lute-  
tiæ





jæ Parisiorum, Doctoris Theologi insignia  
adepti solenniter; HERMANNI *Hassia Land-*  
*gravii*, Magisteriales Honores ambientis &  
accipientis in Universitate Pragensi. Taceo  
*Comitem à Königsmarck, Nobiles à Lettau, de*  
*Brinck*, aliosqve, qveis de disserere libuisset  
fusiùs, si per temporis chartæqve angustiam  
licuisset. Tu itaqve, mi MITHOFI, tot  
tantorum Magnatum, Magnorumqve Viro-  
rum vestigia legens, rem facis haut insolitam,  
sed nomine Tuo perdignam. Nil Meditatio-  
nibus Tuis addere, demere nil volui, ut  
apertiùs constaret de bono Tuo genio &  
ingenio. Felix Tibi precor Matrimonium!  
Felicissimum Ministerium! Dabam  
festinanter die 26. April,  
M DCC X,

Gra.

\* \* \*


**G**ratulor ex animo Laurum Tibi, Fautor  
amande!

Namque σφῶν decus es, χειρολογῶντε decor.  
Haud Tibi suffecit Sapientia Philosophorum;  
Plus ultrà tendis! Gratulor ex animo.

Clarissimo Dn. de MITHOFFEN Fautori  
ac Amico suo honoratissimo  
Φιλίας ἐνεκεν apposuit

FRID. WILH. TITIUS, Rinteliensis,  
SS. Theol. Stud.







37.  
39

*Dissertatio Theologica*  
DE  
PRUDENTIA  
NUPTURIENTIUM  
GAMICA,

*Sive*  
FOEDERE CHRISTIA-  
NORUM CONNUBIALI  
RITE RECTEQVE INEUNDO,

*QVAM*  
PRÆSIDE

JO. JUSTO KISKERO,  
SS. Theol. Doctore, ejusdemque & Prim. Phil. Prof. Ord.  
Consil. ac Superint. Eccles. Haffo-Schauenburg.  
*In Academia ERNESTINA, quæ RINTELI ad Visurgim,*  
D. 29 April. A. O. R. M DCC X.

Amore & More Academico,

*i. e.*

*Placide ventilabit publicè*  
M. JOH. CHRISTIANUS von Mithoffen/

Quedlimburgensis-Saxo,  
AUCTOR RESPONDENS.

•••••••••••••••••••••••••••••••••••••••••••••••••••••••••••••••••••••••••••••••••••••••  
RINTELI,

Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typogr.

Inches  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
8

Centimetres

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

Farbkarte #13  
B.I.G.

